

**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum  
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

**Sfondrati, Celestino**

**[S.I.], 1688**

18. An excusari possint, quæ Romæ Lavardinus commisit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](#)

illi, qui minabantur, non Galliae aut Hispaniae Reges erant, sed totius Orbis, Europæ videlicet, Africæ, Asiæquæ Imperatores. Quibus verò minabantur, Episcopit tantum: quantum ergo pudoris, si Pontifices paveant, Episcopis intrepidis, metuquæ liberis? & denique quidquid Galli irascantur, nunquam Orbis terrarum credet, Ludovicum Regem illi Ecclesiæ bellum illaturum, à qua ejus stirps coronam accepit. Nam quæ gloria tanto Regi arma in Sacerdotes vertisse, & Patrem ac Pontificem suum ideo bello pulsâsse, quia non voluit, quod non licuit? Ergo cùm Romam Gallus expugnaverit, Portis Vaticani hæc inscriptio grandibus litteris incidetur: *Templum Religionis, quod Christus fundavit, Petrus erexit, Pipinus dotavit, Ludovicus destruxit?* Non potest id fieri, quidquid Galli minentur.

XVIII. Decimotertio, (a) Conqueritur Lavardini Defensor: *Omnia Pontifices in pejus interpretari. Vocari exercitus*

G 3 paucos

(a) Fol. 5.

150 *De Abusu Franchitarum*

paucos illos Clientum & famulorum, qui  
Lavardinum comitabantur ex decoro tan-  
tae Dignitatis, quippe Galliae Legatum. Pa-  
latium, quo receptus est, arcem appellari.  
Tintinnabulum, quo horæ, prandia, funera,  
hospitumque adventus indicatur, pro signo  
erumpendi. Disciplinam, Ordinemque  
Domesticum, pro stationibus & extubis  
militaribus. Denique si Lavardinus An-  
gelus Dei sit, statutum esse eum deformare,  
ut saltem à pueris fatuisque, quorum semper  
maximus numerus est, suffragium ferant.

Ry. Credo equidem hunc Oratorem  
cæcis & surdis scribere voluisse, qui nec  
audierunt, nec viderunt Lavardini in-  
gressum; alioquin, quæ rogo fiducia tam  
nota, tam comperta negandi? Legan-  
tur, quæ supra de Lavardini in urbem ad-  
ventu dicta sunt, evolvantur annales, an  
ullus unquam Legatorum ita ad Pontifi-  
cem, aliumvè Principem ingressus sit;  
Roma interrogetur, & tota Lavardinum  
accusabit, nec ego immorari volo jam su-  
pra narratis, & quorum Roma tot testes,  
quot oculos habet.

XIX. L. s.